Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8277
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

dissolvat. Unde dicitur: Sint lumbi vestri precincti et lucerne ardentes in manibus vestris.
In lumbis luxuria dominatur. Sicut dominus de dyabolo manifestat: Virtus eius in lumbis
eius et fortitudo illius in umbilico ventris eius. Dicit ergo lumbos precingi per ~~abstinentiam~~ continentiam
~~continentia~~ dicit et succingi per abstinentiam. Cum hoc genus demoniorum non
eiciatur nisi in oratione et ieiunio. Hinc est quod apostolus ait: State succincti lumbos
in veritate.

## De Stola

Post hec stola que alio nomine vocatur orarium super collum sacerdotis imponitur ut iugum
domini se suscepisse significet, que a collo per anteriora descendens dextrum
et sinistrum latus adornat, quia per arma iusticie a dextris et a sinistris
in prosperis et adversis sacerdos debet esse munitus. Stola quippe significat patientiam de qua
dictum est: Patientia nobis necessaria est ut reportetis promissionem. Et iterum: In patientia
vestra possidebitis animas vestras. Hinc est quod stola cum zona quibusdam nexibus
colligatur, quia virtus virtutibus sociantur ne aliquo temptationis moveantur
impulsu. Sed et secundum decretum Bracarensis concilii de uno eodemque ora-
rio cervicem pariter et utrumque humerum premens signum crucis in suo
pectore preparare. Si quis autem aliter egerit excommunicationi debite subiacebit. Sed for-
te quis dixerit hoc decretum per contrarium Romane ecclesie consuetudine abrogatum. non fuit

## De Tunica

Deinde pontifex induit tunicam poderem vel talarem significantem perseverantiam. Unde
Joseph inter fratres suos talarem tunicam habuisse describitur. Cum enim cete-
ris virtutibus currant in stadio, perseverantia tamen accipit bravium. Qui enim perseveraverit
usque in finem hic salvus erit. Unde propheta Christo fidelis usque ad mor-
tem et dabo tibi coronam vite. Habebat autem hec vestis in veteri sacerdotio
per fimbrias mala punica cum tintinabulis annexis, quorum misterium

## De Dalmatica

supra exposuimus. Super hanc tunicam episcopus vestitur dalmatica.
Dalmatica sic dicta eo quod in Dalmatia sit reperta, que per suam for-
mam significat largitatem, quia largas habet manicas et prepensas. Unde secundum apostolum
oportet episcopum esse non tenacem, cupidum, sed hospitalem. Non ergo
manum habeat ad danda colligenda collectam et ad recipienda porrectam, sed id
efficiat quod propheta suadet: Frange esurienti panem tuum et cetera. Unde psalmista: Indu-
mento tua. Cum videris nudum operi eum et carnem tuam ne despexeris.
Ob hoc forte diaconi specialiter vestiuntur dalmaticis, quia specialiter sunt
primum electi sunt ab apostolis ut mensis ex officio ministrarent. Sed autem hec
dalmatica duas lineas coccineas hinc inde ante et retro a
summo usque deorsum ut pontifex habeat fervorem caritatis ad deum
et ad proximum in prosperis et adversis. Iuxta veteris et novi testamenti
preceptum quod est: Diliges dominum deum tuum et proximum tuum et cetera. Unde Iohannes:
Karissimi non mandatum novum scribo vobis sed mandatum vetus quod habuistis ab
initio. Et iterum: Mandatum novum scribo vobis. In sinistro quoque